



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii, Et
Ivdicis Apostolici designati pro Tribunali Nunciaturæ
Hispaniæ, ac insignis Ecclesiæ Vimaransenis Thesaurarij
Maioris, Collectanea Doctorvm, Qui ...**

Barbosa, Agostinho

Venetiis, 1643

Monitiones S. Caroli Borromæi ad Canonicos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14108

d. quest. 2. num. 12. Lessi. d. cap. 34. num. 185. Squillante d. p. 1. num. 61. in fine. Oliuer. Bonart. d. lib. 2. cap. 23. num. 13. Paul. Layman. d. num. 6. vers. dico secundo. Antonin. Diana d. resolut. 6. in fine. Sebast. Casar. d. §. 1. numer. 11. Barthol. à S. Fausto de horis Canon. lib. 3. quest. 14. Marchin. de sacram. Ordinis part. 6. tract. 2. cap. 9. disse. 7.

¶ Vestitu in super decenti, &c.] Iubet clericos beneficiatos Ecclesiarum Cathedralium vti vestitu decenti tam in Ecclesia, quam extra illam, ad maiorem suae dignitatis splendorem, refert Stephan. Vveymys ad constitutiones 24. ex antiquo iure desumptas, & per Concil. Trid. in nouatarij, const. 8. num. 14. vers. quod tamen, pag. 76. in fine.

Monitiones S. Caroli Borromæi ad Canonicos.

Vos, qui in cathedrali Ecclesia Dignitates obtinetis, Canonici item tum eiusdem Ecclesiae, tum reliquarum quarumvis Ecclesiarum collegiatarum, vel vrbana- rum, vel dicecesanarum, quicumque sitis in omni Canonice disciplina officio, ita agite vt canonicè, nempe Canonum legibus ad vtraque vestrae institutum pertinentibus, & constitutionum Prouincialium, Dicecesanarumque ratione congruenter viuatis, idque primo maxime stude- dete, vt in conspectu Dei omnipotentis puro corde, & casto corpore ministretis.

Tum singuli vos Ordinis dignitati, aut Canonicatui annexi functiones explete, Canoniceque muneris partes praestate, omnes in choro statis horis assistite, & ad Deum pro fidelibus pijs, religiosisque fundite preces.

Dum eo loco estis, memores estote adesse Christum Ie- sum Dominum, cui seruite cum timore, & tremore.

Non pigri, non somnolenti, non oscitantes adestote, non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu.

Attendite, studiosè, ritè, piè, religiosè diuinas laudes concelebrate, & psallite Deo in conspectu Angelorum, cantantes in cordibus vestris Domino.

In choro nemo priuatim, nemo tacitè officium recitet, sed omnes pariter quicumque adestis, senes cù iunioribus, laudate nomen Domini in Psalmis, Hymnis, & Canticis.

A quibuscumque colloquijs, & à litterarum, ac libro- rum lectionibus, atque omni vagatione abstinetè.

Pro temporis autem, & officij ratione sedete, stante, genua flectite, caput aperite, & inclinate.

Accuratè demum omnia obseruate, quae eo de genere vobis praescripta sunt, ita vt vestro exemplo alijs Sacerdotibus, Clericisque & rectè, ritèque psallendi, & sanctè orandi, & piè agendi animum addatis.

In Psalmorum autem, Canticorum, & Hymnorum intelligentiam studiosè incumbite, vt dum psallitis pro sensuum sanctissimorum, quos mente concepistis, ratio- ne, vos ad omnes pietatis, deuotionisque effectus excitetis.

Non ordinariè distributionum lucro adducti, sed Dei charitate, Religionisque cultu commoti, diuinis Officijs adestote, vt verè ex animoque Psalmi verba illa concinnatis: Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomi- ni tuo Domine, quoniam bonum est.

Diuinis officijs absolutis paululum omnes in choro piè orate, inde obeundi signo per Praefectum dato con- surgentes, quo ordine ad chorum accessistis, eodem in sacri- stiam redite, vbi cappas, qui illis induti estis, & superpellicea sine strepitu vllò, & susurratione deponite.

Canonicales vestros conuentus statis hebdomadae diebus capitulariter habete.

Omnes qui debetis ad illos conuenite.

Inde ne discedite nisi missione à Capituli praefecto impetrata.

Singuli ordine, & loco sedere.

Sententiam modestè dicite, & suo quisque loco, non preposterè.

A verbis scurrilibus abstinete.

In reb^o cōsultadis rixas, iurgia, & cōtumelias caute,

In initio & sine vniuscuiusque Capituli stas orationes dicite.

Priori loco tractanda proponite, quae ad diuinum cultum, ad spirituales vitae progressus, ad ecclesiasticam disciplinam tuendam, tum quae ad rerum temporalium gubernationem pertinent, ne negligite.

Cetera hoc de genere toto seruate quae Prouinciali- bus constitutionibus praescripta sunt.

Omnia in primis agite pace mutua, concordia volun- tate, & charitate fraterna vos inuicem diligite; Cano- nici enim estis, qui pro Collegij ratione ex antiquo institu- to vna in collegiata Ecclesia, vnoq; item in Canonicali domicilio collocati fuistis, ita vno pacis, & charitatis federe, vnaq; animorū consensione coniunctissimi, sicut nascentis Ecclesiae ministri, quorum erat cor vnum, & anima vna, experièdo videte, sicut in Psalmo scriptum est, Quam bonum, & quam incundū sit habitare fratres in vnu. Haec tamen monitiones S. Caroli ad Canonicos.

Tabella Canonicis accommodata ad preces horarias deuotè concinendas.

Ante Horas.

Horarum canonicarum institutio ad Dei laudem, & gratiarum actionem primū omnium recolenda.

Quae septeno Horarum numero mysticè designantur, breuiter cogitanda.

Rerum inaniū cura, & omnium negotiorum solici- tudo relinquenda.

Postulandum à Deo vt attendè, deuotè, ac studiosè laudetur.

Frequens consideratio Canonice vocationis vt vo- cibus modularè cōpositis bene instructa respōdeat.

Cordis munditia studendum vt puris verborum lau- dibus diuina Maiestas concelebratur.

Hierarchiae Angelorum diuinas laudes in caelo pro- clamantium mentis oculis proponenda.

Humili prece Sanctorum patrocinium implorā- dum, illius praesertim, cuius Officium recitare coninget.

Nunquam Officium inchoandum nisi collectis sensi- bus, ac prauiam mentis eleuatione ad Deum.

Cauendum à verbis inutilibus, risu, iocis, eo maxime tempore, quo itur, vel paulo post eundem est in chorum.

In ipsis Horis.

Nouerit Canonicus se in sortem Domini vt diuini laudibus publico nomine vacet.

Angelici huius ministerij Officio se inuicem Angelorum choros versari contempletur.

Diuina praesentiam Maiestatis psallendo reuenter adoret.

Attentionem in singulis verbis adhibeat, quam fre- quenter excitabit, Dei, quem alloquitur, recordatione.

Quae distrahunt importuna cogitationes sensim, ac le- uiter repellendo comemnat.

Quoties mentem alio diuertisse aduerterit, toties eam statim